

ins et devotio erga Deiparam: ita signum reprobationis, et causa damnationis est irreverentia et inobedientia erga eandem, ut patet in Nestorio, Helvidio, Constantino Copronymo, Juliano Apostata. Qu' enim Deiparam colit, Christum Deum ejus Filium colit, qui in illam peccat, in Christum peccat. Quocirca sicut Christus in Ecclesia, quasi in familia sua, est tanquam paterfamilias: sic in eadem B. Virgo est quasi materfamilias, ex dono et voluntate Christi. Ecclesiam accipio tam triumphantem, quam militantem. Quocirca Germanus Constantinopolit. Patriarcha, orat. *De Deipara*: « Sicut, ait, continua respiratio non solum est signum vite, sed etiam causa: sic sanctissimum

Marie nomen, quod in Dei servorum ore assidue versatur, simul argumentum est, quod vera vita vivant, simul hanc ipsam vitam efficit et conservat, omnemque eis lætitiā et opem ad omnia impertitur. » Unde addit: « Nemo salvatur, nisi per te, o Virgo sanctissima. » Et S. Bonaventura in *Psalterio Virginis*: « Quem vis, ait, salvus erit; et a quo avertis faciem tuam, ibit in interitum. » Et rursum: « Qui digne colerit illam, justificabitur; et qui neglexerit illam, morietur in peccatis suis. » Quocirca exclamat Damascenus, orat. *De Nativit. Virg.*: « Donum omnium donorum præstantissimum est Maria Virgo, quæ sola Creatore digna erat, vivum cælum, oculis ipsis lætus. »

CAPUT NONUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Parabolice describitur domus et convivium sapientie, ad quod ipsa simplices invitat. Nam derisores asserit esse incapaces correctionis et sapientie. Deinde sapientia, vers. 13, inducit, depingitque sui amorem multiter stultam; quæ recordis seducit, imo secum ad tartara ducit.

1. Sapientia ædificavit sibi domum, excidit columnas septem. 2. Immolavit victim suas, miscuit vinum, et proposuit mensam suam. 3. Misit ancillas suas ut vocarent areem, et ad menia civitatis: 4. Si quis est parvulus, veniat ad me. Et insipientib locuta est: 5. Venite, comedite panem meum, et bibite vinum quod miscui vobis. 6. R linquite infantiam, et vivite, et ambulat per vias prudentiæ. 7. Qui erudit derisorem, ipse injuriam sibi facit: et qui arguit impium, sibi maculam generat. 8. Noli arguere derisorem, ne oderit te. Argue sapientem, et diliget te. 9. Da sapienti occasionem, et addetur ei sapientia. Doce justum, et festinabit accipere. 10. Principium sapientiæ, timor Domini: et scientia sanctorum, prudentia. 11. Per me enim multiplicabuntur dies tui, et addentur tibi anni vitæ. 12. Si sapiens fueris, tibimetipsi eris: si autem illusor, solus portabis malum. 13. Mulier stulta et clamosa, plenaque illecebris, et nihil omnino sciens, 14. sedit in foribus domus suæ super sellam in excelso urbis loco, 15. ut vocaret transeuntes per viam, et pergentes itinere suo: 16. Qui est parvulus, declinet ad me. Et recordi locuta est: 17. Aquæ furtivæ dulciores sunt, et panis absconditus suavior. 18. Et ignoravit quod ibi sint gigantes, et in profundis inferni convivæ ejus.

PRIMA PARS CAPITIS.

4. SAPIENTIA ÆDIFICAVIT SIBI DOMUM, EXCIDIT COLUMNAS SEPTEM. — Pro sapientia hebraice est חכמה *chachmah*, id est sapientia in plurali: ut significatur sapientie dignitas, majestas et amplitudo, quod scilicet ipsa in se una sit instar multorum, pluraque comprehendat, adeoque ipsa sit omnium sapientiarum, consiliorum, intelligentiarum, prudentiarum, etc., complexio et mater. Pro excidit, Septuaginta vertunt, *subdidit*; Syrus, *erexit*; S. Ambrosius, lib. 1 *De Fide*, cap. vii, *sustulit*; S. Athanasius, in *Disput. contra Arium, stabilivit*; Chaldaeus, *statuit in ea columnas*; Arabicus, *fecit*

eam imiti septem columnis. He ergo columnæ sunt fulera et bases, quibus sapientia domum superædificat, perinde ac Romæ basilicæ S. Petri, S. Pauli, S. Laurentii, S. Joannis Lateranensis, B. Virginis Majoris, S. Cæciliæ, etc., columnæ e marmore excisis, iisque plurimis et magnificis insistentes et inædificatas videmus. Excidit ergo, id est e rupe succidit, dolavit, polivit, erexit, stabilivit quasi bases domus sapientiæ. Ita Galatinus, lib. III *De Acanis fidei*, cap. iii, et Aben-Ezra. Et catachresis et metalepsis. Quæres, quomodo hæc domus et fabrica

Domus et convivium sapientie? Nota hic esse quasi continuam allegoriam vel parabolam, ideoque Salomonem hic loqui parabolice et enigmatica, uti et sæpius alibi in hisce Proverbiis. Hæc enim ipse contextit ex gravibus, insignibus, elegantibus, obscuris, acutis, et præsertim parabolicis gnomis: unde omne genus sententiarum huic libro inseruit et immiscuit. Igitur quia cap. vii, 14, proposuit illecebras et ædium convivii a meretrice apparat, ad quod ipsa juvenem invitat, ut eum perdat et pervertat, idecirco hoc loco et componit, opponit et antepone domum convivii a sapientia exstructam, veris deliciis instructam, ad quam juvenem invitat, ut eum a meretrice avellat, et ad sui studium animæque salutem deducat. Hic igitur proponit et exponit ei suas delicias, de quibus dixit cap. præcedenti, vers. 31: « Deliciæ meæ esse cum filiis hominum. »

Grammaticæ ergo et in cortice literæ, domus hic convivii a sapientia instructi, sive tridicinium, accipitur, in quo ipsa sua, sapientiæ scilicet, formula, dogmata monitaque salutis proponit. Alludit ad primas sapientum cœnas, in quibus sapientes quasi symbola sapientiæ conferebant, ac promebant sententiæ acutas, graves, obscuras, parabolas, enigmata, etc., ut patet ex Athenæo, *De Cœnis sapientum*; Platone, Macrobio, Plutarcho, imo ex Siracide, *Eccli. xxxii, 4*, ut ibidem docui.

Huc facit quod de economica, sive de sapienti domus constitutione censere septem Græcæ Sapientiæ apud Plutarchum in eorumdem *Conviviis*. Primus enim Solon: « Ea, inquit, mihi optima videtur domus, ubi res est neque injuste parta, neque in ea vel conservanda diffidentia, vel in sumenda penitentia est locus. Bias: in qua dominus sua sponte talem se gerit, qualem foris propter leges. Thales: in qua plurimum otii domino conceditur. Cleobulus: in qua plures sunt qui diligant, quam qui metuant dominum. Pittacus: ubi neque requirantur supervacua, neque desiderantur necessaria. Chilon: maxime oportet domum urbi, que sub rege est, similem esse; adjecitque Lyceurgum eundam qui populare imperium Sparta instituit ipsam juberet, respondisse: Prius tu hoc domui tue facito. »

Parabolice vero sub hoc cortice grammatico per domum intelligit templum, templique Synagogam. Hæc enim ædificavit Salomon sapientiæ preses et princeps quasi domum sapientiæ, id est Dei, III Reg. vi, 1, et cap. vii, 1; et hoc suffulciebatur et ornabatur septem, id est multis, columnis. In eo quoque erat mensa, id est altare, in quo victimæ Duo mactabantur, cum libamine, id est mixtionem et effusione vini, item mensa panum propositionis. Atque in eo docebatur sapientia, id est vera fides, lex, virtus, prudentia, religio et cultus Dei, a sacerdotibus, Scribis et Pharisæis. Porro per templum accipe Synagogam et Ecclesiam, quam congregabatur in templo ad audiendos cultores et doctores sapientiæ: tam enim

Synagoga quam templum erant typus, ac typice representabant Ecclesiam, quam sapientissimus Salomon, puta Christus, construxit et inhabitat, ibique velut in schola docerent per suos magistros, sacerdotes et doctores Christianam sapientiam et virtutem, de quo mox plura. Sapientia ergo Dei, sive Deus per sapientiam, ædificavit templum et Synagogam, id est domum suam, in qua colebatur, ac per suos sacerdotes et doctores doceret Judæos et proselytos sapientiam, id est veram Dei cognitionem, amorem, cultum, omnemque honestatem et virtutem. Ita per domum et mensam hanc templum Salomonicum accipitur Hebræi, et noster Hieronymus Prado in *Ezech. cap. vi, num. 7*, ejusque assecla Vilalpando in *Ezech. xl, tom. II, part. 2, lib. III, cap. xx*. Ubi docet præter plurimas columnas, quibus fulciebatur templum, præcise septem fuisse columnas per titium templi, id est atrii. Atrium enim erit templum templi: nec enim populus, sed soli sacerdotes ingredi poterant Sanctum, et solus portiflex Sanctum sanctorum. Pro singulis ergo atrii portibus docet septenas fuisse columnas hinc et inde, hoc est, universim quatuordecim, iisque representatas fuisse tres tesseradecades genealogie Christi. *Math. i, 17*. Sed audi Vilalpandum: « Bini sunt in portibus singulis columnarum ordines: ordo septenis constat columnis: tres hujusmodi portificus domum Dei, Sanctumque sanctorum complectuntur medium. Quid, si huc forte respexit S. Mattheus, cap. i, 17, universam Christi genealogiam in tres partitus tesseradecades, quot columnis extrinsecus Dei domus cingebatur? Tres enim erant porticus, et quæque habebat tesseradecadem columnarum, puta septenas columnas in uno ordine, et septenas in altero illi opposito: tres ergo erant columnarum, æque ac genealogiarum Christi tesseradecades. Simili modo Siracides, post elogia sapientiæ, ait eam domum fuisse in Sion et Synogoga Hebræorum. » Et sic, ait, in Sion firmata sum, et in civitate sanctificata similiter requievi, et in Jerusalem potestas mea, *Ezech. cap. xxv, 15*.

Rursus noster Pineda, lib. III *De Rebus Salomonis*, cap. xxviii, et Joannes de Carthægena, lib. X, hom. *De B. Virgine inveniente Jesum in templo*, per domum accipiunt academiam. Sapientia ergo ædificavit sibi domum, hoc est, iniqua Salomon sapientissimus sapientiæ nomine in monte Sion juxta regiam et juxta templum, imo in atrio templi, ædificavit academiam, in qua doctores docerent sapientiam. Unde et Romæ academia et gymnasium, in quo docerunt omnes facultates, vocatur *Sapientia*. « Excidit columnas septem, » id est, septem artium liberalium suggesta, sive altas cathedras et marmore elaboratas, et quibus doctores docerent. Unde hebraice vocantur *עמודים אמודים*, a rad. עמד, id est stetit, quod status, stationes, in quibus scilicet stabant doctores.

Septem ergo columnae sunt septem gymnasia, in quibus totidem erant cathedrae, e quibus doctores profitabantur omnes artes liberales, quae suam. Quae de re audi Optatum Milevitianum, lib. III *Contra Parmen.* ad illud *Isaia xxii, Onus vultus visionis*: « Non ait, in Sion, sed in una ejus valle; non in illo monte Sion, quem in Syria Palaestina a muris Jerusalemi parvus determinat avus, in cuius vertice est non magna planities: in qua fuerunt septem Synagogae, ubi Judaeorum populus conveniens legem per Moysen datam discere potuisset, ubi nulla lex audita est, nec ab aliquo celebratum iudicium, nec aliqua est illic ab aliquo iudice lata sententia; quia locus erat doctrinae, non controversiae. » Post doctrinam, si quid agendum erat intra muros Jerusalemi, agebatur. Inde scriptum est in *Isaia propheta*, cap. II: « De Sion exiit lex, et verbum Domini de Jerusalem. » Hinc et Aben-Ezra per septem columnas accipit septem artes liberales. Scientiam enim, inquit R. Levi, sunt columnae prudentiae et sapientiae (1).

Accipit a sapientia missae ut vocarent ad arcem, id est ad academiam in arce Sionis erectam, diversa sunt facultates, quae in academia tradebantur. Haec enim, sui objectu et specie, allucebant et iribatant omnes Hierosolymitas et Judaeos, quin et proselytos exterosque, ad adendum et audiendum hanc scholam sapientiae. Unde Justinus in *Dialogo contra Tryphonem* asserit antiquos Mithrae, id est Solis, sacerdotes imitatores fuisse Hierosolymitanorum in saxorum Sionis sublimitate docentes, quippe qui simili modo in saxa spelunca discipulos suos Mithrae sacris imbuerent. Idem affirmat Tertullianus, lib. *De Corona militis*, sub finem, et lib. *De Praescripto, contra haeret.* cap. XI.

Porro sunt, qui in porta templi Orientalem locam academiam fuisse commemorant. Ita Arias Montanus in *Apparatu*, et S. Antonius, part. I, lib. 3, cap. 1, § 3. Eundem notavit Paulus dicens *Actor. xxiv. 12*: « Neque in templo invenerant me cum aliquo disputantem, » puta in gymnasio, quod in atrio templi erat. Hanc academiam Christus praesentia sua et auctoritate honorare et auctoritate voluit, cum, ut ait S. Lucas, cap. II, parentes invenerant illum in templo sedentem in medio doctorum. Addit Pineda, lib. III *De Rebus Salom.* cap. xxviii, hanc Salomonis academiam fuisse matricem caelorum, ex qua proinde prodierit Pythagoras, teste S. Ambrosio, lib. I, *epist. 6*, Plato, Socrates, Aristoteles, etc. Hosce enim ceterosque

(1) Monet Rosenmüller, supervacuum esse, omnes huius allegoriae excutere velle minutias, cur v. g. septem, et non novem vel decem memorantur columnae, quae eadem designant, quid parvula emissa, etc. Nam in parabolis et allegoriis non omnia habent significationem: sicut in pictis tabellis personae tantum ad vivum scelerati, regiones vero, vel ceteri personarum hanc ambientes ornatus non ad vivum, sed pro arbitrio pictoris apponuntur. Vide infra, pag. 230, col. 1, § Quaes.

Gentium Philosophos sua dogmata a Salomone et Hebraeis hausisse docet Eusebius, lib. III *De Praepar.* cap. xiii, Clemens Alexandrinus, lib. I *Strom.*, et alii; quare in hac sua academia docuisse ipsimet Salomonem, utpote auctoritatem a Deo sapientiae doctorem, atque has aliasque parabolae didicisse, juxta illud: « Locutus est quaque Salomon tria millia parabolae; et fuerunt carmina ejus quinque et mille. Et disputavit super lignis, » etc. III *Reg. iv, 32*. Hinc consequenter inferunt Salomonem haec didicisse post edificatum templum et domum suam, sub annum regni sui 23. Nam quarto anno regni sui cepit edificare templum, illudque post septem annos absolvit, ac deinde edificavit domum suam per tredecim annos, III *Reg. cap. vii, 1*. Quod si omnes hos annos in unum confles, invenies 23, post quos in gymnasio juxta templum edificato primum ipse docere cepit, cum privatim domi suos docuisset. Unde ex variis ejus sententiis, diversis temporibus ab eo pronuntiatis, vel etiam repetitis, collectus et concinnatus est hic Proverborum liber, ut patet ex cap. xxiv, vers. 23, et ex cap. xxv, vers. 1.

Allegorice, domus sapientiae, puta vetus Judaeorum templum, Academia et Synagoga, representat Ecclesiam Christi. Haec enim Christus, qui est Sapientia increata et incarnata, edificavit, id est creavit et inchoavit, in eodem Sionis templo docens et praedicans. Unde in eodem Apostoli in Pentecoste receperunt Spiritum Sanctum, et linguis igneis ibidem promulgatam legem novam. Ita S. Ambrosius, lib. I *De Fide*, cap. vii; Caesarius Arelatensis, hom. 7 *De Pascha*; Anastasius Nicenus, *Quaest. LX in Script.*; S. Athanasius, orat. 3 *Contra Arianos*; S. Isidorus, lib. VIII *Etymol.* cap. 1; S. Thomas, III part. *Quaest. XXXII, art. 1, ad 3*, et auctor *Quaest. veteris et novi Testamenti* apud S. Augustinum, tom. IV, *Quaest. LII*: « Domus Christi est Ecclesia, ait, quam edificavit sibi sanguine suo. »

Audi S. Gregorium, lib. XXXIII *Moral.* cap. xv: « Domus sapientiae, ait, Ecclesia vocatur: quae septem sibi columnas excidit, quia ab amore praesentis saeculi disjungit, ad portandam ejusdem Ecclesiae fabricam, mentes praedicantium erexit. Quia pro eo quod perfectioris virtute subnixae sunt, septenario numero designantur. Immolavit victimas, quia vitam praedicantium maculari in persecutione permisit. Vinum miscuit, quia divinitatis et humanitatis suae nobis pariter arcana praedicavit. Mensam quoque proposuit, quia Scripturae sacrae nobis pabula aperientio preparavit. Ancillas etiam suas misit, quae ad arcem nos atque civitatis menia vocantur: quia praedicatorum infirmos abjectosque habere studuit, qui fideles populos ad spiritualis patriae aedificia superna colligerent. »

Quaeres, quemnam sint septem Ecclesiae columnae? Respondet primo, S. Augustinus, lib. XVII *De*

qua
T
Be-
Vrino.

Quaest. cap. iv, et S. Gregorius, XVII *Moral.* I, esse singulas particulares Ecclesias, e quibus Ecclesia universalis conflatur et coarscit. Septenarius enim est symbolum plenitudinis et universalitatis: septem ergo columnae sunt omnes Ecclesiae particulares, quae conflant Ecclesiam universalem. « Per septenarium numerum, ait S. Augustinus, est septem Ecclesiae significata perfectio. » Hujus rei symbolo S. Joannes Apocalypsin ita inscribit: « Joannes septem Ecclesiis; » quia, ut ait S. Gregorius, « Joannes septem Ecclesiis scribit, ut unam catholicam septiformis gratiae Spiritu plenam designaret. »

Secundo, auctor *Catena Graecor.* et Lyranus per septem columnas accipiunt septem Sacramenta Ecclesiae Christianae, quibus quasi columnis illa fulcitur.

Tertio, auctor Imperfecti in *S. Math.* apud S. Chrysostomum, homil. 30, per septem columnas accipit septem dona Spiritus Sancti, quibus ipse suffulsi Ecclesiam, *Isaia. xi. 2*. Hic enim spiritus sanctus robustus, imo robor Ecclesiae: roborant enim tam Praelatos quam fideles singulos contra omnes inimicos, puta contra hereticos, infideles, atheos, politicos, et quoslibet impios, imo contra demones totaque inferni potentiam.

Quarto, S. Ambrosius (vel quisquis est auctor, nam idem Commentarius inter opera Bedae invenitur) in *Apocal. 1*, ante finem, per septem columnas accipit universitatem praedicatorum, quos Deus per septem, id est omnes, mundi aetates illi submitit: « Sapientia, ait, edificavit sibi domum, quando Dominus noster Jesus Christus ab initio mundi usque ad finem ejus, ex numerositate electorum Ecclesiam sibi construxit et constituit. Excidit columnas septem, quod ut septem temporibus praedicatorum, qui singulis temporibus conveniunt, in Ecclesia sua statuit, qui et monitis salutaribus et honorum operum exemplis eam sustentarent. »

Quinto, Salomus per septem columnas accipit omnes Ecclesiae doctores: hi enim velut columnae eam suffulcunt. Unde Paulus, *Galat. II, 9*, Petrus, Jacobum et Joannem vocat columnas Ecclesiae. Audi Salomus: « Columnae domus hujus sunt sancti doctores; quae columnae bene septem esse dicuntur, quia sancti doctores repleti sunt septiformi gratia Spiritus Sancti. Quomodo ergo excidit sapientia has columnas? quia mentes praedicatorum ab amore praesentis saeculi velut a sua lapidicina separavit, et ad portandam ejusdem ecclesiae fabricam erexit. »

Symbolice, Sapientia increata, puta Filius Dei, edificavit sibi domum, id est, corpus humanum in incarnatione, in qua inhabitavit plenitudo divinitatis corporaliter: columnae septem sunt septem dona Spiritus Sancti, quibus plena et suffulta fuit Christi humanitas, *Isaia. xi, 2*. Mensa est mensa Eucharistiae, in qua Christus nobis suam carnem comedendam, et suum sanguinem bibendum

Symbo-
licè
militat
dicitur
Verbi.

proponit, de qua mox. Ita S. Athanasius in *Disputa contra Arium in Concilio Niceno*: « Sapientia, ait, id est Verbum sine Filio Dei, cum esset incorporeus, ob nostram salutem edificavit sibi domum in utero Deiparae Mariae sine commercio virili, et homo factus est, et seipsum exhibuit exemplar omnium virtutum: ut qui illum sequi vellent, quasi in divino itinere haberent vestigia, et ad similes facti, divina naturae participes redderentur. » Domus ergo Christi est corpus, per quod Christus, ait S. Athanasius, nobis *carne*, id est corpore, effectus est. Sic et S. Gregorius Nyssenus, orat. 3 *Contra Eunomium*: Sapientia edificavit sibi domum, hoc est carnem, inquit, quam assumpsit, q. d. « Verbum caro factum est. » Et S. Augustinus, lib. XVII *De Civitate*, xx, ubi totum hunc locum sic explicat: « Hic certe agnoscimus Dei sapientiam, hoc est Verbum Patri coeternum, in utero virginali domum sibi edificasse corpus humanum, et hinc tanquam capiti membra Ecclesiae subjungisse, Martyrum victimas immolasse, mensam in vino et panibus praeparasse; ubi apparet etiam sacerdotium secundum ordinem Melchisedech; insipientes et imopes sensu vocasse, quia, sicut dicit Apostolus: Infirma hujus mundi elegit Deus, ut confunderet fortia. » Sic et Anastasius Nicenus in *Quaest. S. Script.* *Quaest. XI*: « Sapientia, ait, edificavit sibi domum, cum Verbum caro factum esset, et habitavit in nobis. » Paravit mensam, scilicet divinae carnis et sanguinis in Eucharistia. « Miscuit vinum suum, ut qui suam divinitatem carni univit tanquam vinum merum. » Sic et Caesarius Arelatensis, homil. 4 *De Pascha*, S. Ambrosius, lib. I *De Fide*, cap. vii, et lib. III *De Spiritu Sancto*, cap. viii, et S. Gregorius, lib. XXXIII *Moral.* cap. xv: « Sapientia, ait, domum sibi condidit, cum unigenitus Dei Filius in semetipso, intra uterum Virginis mediae anima humanae sibi corpus creavit. Sic quippe corpus unigeniti, domus Dei dicitur, sicut etiam templum vocatur; ita vero, ut unus idemque Dei atque hominis Filius ipse sibi qui inhabitat, ipse qui inhabitatur. » Quocirca graviter more suo S. Leo, *epist. 43 ad Fulcherium Augustam*: « Sacramentum, ait, reconciliationis nostrae ante tempora aeterna dispositum mille implebat figure, etc., ut etiam interiora viscera edificante sibi sapientia domum, Verbum, caro fieret, et forma Dei ad forma servi in unam conveniente personam, creator temporum nasceretur in tempore; et per quem facta sunt omnia, ipse inter omnia gigneretur. » Sic et S. Thomas, III part. *Quaest. XXXII, art. 1, ad 3*.

Porro de tridinio et convivio Eucharistiae hunc locum accipiunt S. Chrysostomus in *Psal. xxxi*, S. Ambrosius, lib. I *De Fide*, cap. vii; S. Cyprianus, lib. II, *epist. 3 ad Caecilium*; Anastasius Nicenus, *Quaest. XI in Script.*; Beda, Hugo et alii hic; quin et Ecclesia in Officio Venerabilis Sacramenti, quod composuit S. Thomas, in quo prima Anaphora ad Laudes est haec: « Sapientia edifi-

cavit sibi domum, miscuit vinum, et posuit mensam. Alleluia. »

Physico, Hebraei in Sanedrim apud Galatinum, lib. III *De Arcanis fidei*, cap. III, sic exponunt: « Sapientia edificavit domum suam, id est, Deus per sapientiam creavit mundum. Dolavit columnas ejus septem, id est, ordinavit septem dies primordiales creationis mundi, quibus omnia creavit, formavit, et suis locis ordinibusque quasi per columnas distinxit, Immolavit victimam suam, vel coxit victimam suam, vel decoctionem suam: per hoc intelliguntur maria, flumina, et omnia mundi necessaria, Misit puellas suas, ut vocarent: hi sunt Adam et Eva. » Hæc Hebraei in Sanedrim, et R. Salomor hic. Potho Prumiensis presbyter, sub annum Domini 1182, scripsit tract. *De Magna domo sapientie*, qui exstat tom. XII *Biblioth. SS. Patrum* editionis Coloniensis recentissimæ, part. I, pag. 642, in quo per domum sapientie symbolice accipit hoc universum; per septem columnas, septem dies creationis mundi, item septem dona Spiritus Sancti, quæ deinde per singulos dies prosequitur, et cuique diei suum donum adaptat, juxta illud: « Dominus sapientia fundavit terram, stabilivit cælos prudentia, » *Prov. III*, 19. Allegorice vero domum sapientie interpretatur uterum B. Virginis, in quo Deus homo factus novem mensibus habitavit; unde ornatum et dedicationem templi Salomonis eidem mystice accommodat.

Tropologicè sapientia, id est Christus, per gratiam edificat domum, id est templum in anima fidelis, cum eam sanctificat. Tunc enim in ipsa erigitur templum virtutis et sanctitatis, in quo S. Trinitas inhabitat, imo cœnat, juxta illud *Apocal. III*, 20: « Si quis audierit vocem meam, et aperuerit mihi januam, intrabo ad illum, et cœnabo cum illo, et ipse mecum. » Et illud *Joan. XIV*: « Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diligit eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus. » Ita S. Athanasius in orat. *5 Contra Arianos*, et in *Disp. contra Ariam in Concilio Nicæno*, et auctor *Imperfectæ hom. 29 in Math.*

Audi S. Bernardum, serm. 3 *De Adventu*: « Beatus, apud quem mansionem facies, Domine Jesu. Beatus, in quo sapientia edificat sibi domum, excidens columnas septem. Beata anima, quæ seles est sapientie. Quænam est illa? Anima utique justi. Merito placet quia justitia et judicium præparatio sedis tue. Quis in vobis est, fratres, qui desiderat in anima sua sedem parare Christo? Ecce quænam illi serica, quæ tapetia, quod pulvinar oportet preparari. Justitia, inquit, et judicium præparatio sedis tue. Justitia virtus est, quod suum est unicuique tribuens. Tribue ergo tuis quæ tua sunt. Redde superiori, redde inferiori, redde equali, cuique quod debes, et digne celebra adventum Christi, parans ei in justitia sedem suam. Redde, inquam, reverentiam Præ-

lato, et obedientiam, quarum altera cordis, altera corporis est. » Ubi et septem domus hujus spiritalis columnas assignat. nimirum sui sibi que commissorum custodiam et disciplinam, erga Prælatos reverentiam et obedientiam, erga fratres consilium et auxilium: ac septem judicium assignat, quod nos coram Deo judicemus et humilimus. « Hæc plane, ait, est digna sedis præparatio Domino majestatis, ut et justitie mandata studeat observare, et semper indignum sese et infirmum arbitretur. »

Porro S. Bonaventura tractatu *De Septem domibus Spiritus Sancti*, septem sapientie columnas assignat ex illo S. Jacobi cap. III: « Sapientia, quæ desursum est, primum quidem pudica est, deinde pacifica, modesta, suadibilis, bonis consentiens, plena misericordia et fructibus bonis, judicans sine simulatione. » Itaque septem columnas sic construit et erigit: « Prima columna est pudicitia in carne, secunda simplicitas in mente, tertia modestia in sermone, quarta suadibilitas in affectu, quinta liberalitas in effectu, sexta maturitas in judicio, septima sanctitas in intentione. »

Præsertim vero domus sapientie est anima digne communicantis. Hæc enim cum Zachæo suscipit Christum in domum suam, ab eoque meretur benedicti, et omni cœlesti benedictione cumulari. Ita ex S. Athanasio Salazar, Trabis ergo anima est trichinium sapientie, quia tribus lectis, tondemque convivis ornatum et instratum, nimirum memoria, voluntate et intellectu. In memoria epulatur gratiarum actio, juxta illud *Psal. CX*, 4: « Memoriam fecit mirabilium suorum misericors et miserator Dominus: escam dedit timentibus se. » In voluntate quasi convivam accumbit et epulatur charitas, juxta illud eodem *Psal.*: « Initium sapientie timor Domini; » hic enim timor est filialis, ait S. Augustinus, ideoque charitas. In intellectu conviva est et epulatur Dei cognitio et contemplatio juxta illud eodem *Psal.*: « Intellectus bonus omnibus facientibus eum, » qui animum extimulat ad omnem virtutem, operaque heroica justitia, ac præsertim ad perennem Dei laudem et jubilum. Unde sequitur: « Laudatio ejus manet in sæculum sæculi. » Rursus hoc trichinium, ejusque triplices delicias ita pingit S. Thomas, et ex eo Ecclesia in Officio Vener. Sacramenti ad secundas Vesperas: « O sacrum convivium, in quo Christus sumitur, recolitur memoria passionis ejus, mens impletur gratia, et future gloriæ nobis pignus datur! » Multo magis sapientia edificat sibi domum, cum sanctum quempiam vite statum, v. g. Religionem, vel Ordinem, instituit, præsertim in quo doceatur omnigena sapientia, qualis nunc est Societas Jesu, et olim fuere perierit alii Ordines. Vide que de hac mystica virtutum ordinumque fabrica dixi in fine Aggæi prophete.

Mystice, Sapientia, id est Filius Dei, edificavit sibi, id est in proprium suum usum, domum se dignam, scilicet uterum Virginis Deiparæ, cum

illum sibi in habitaculum elegit: ideoque ut esset divinum ac dignum Deo, præ Angelis, Cherubim et Seraphim, summis id gratis adaptavit et adornavit, puta septem columnis, id est robustissimis virtutibus, puta tribus theologis, robusta fide, spe et charitate; ac quatuor cardinalibus, robusta prudentia, justitia, fortitudine et temperantia. Audi S. Bernardum, serm. 9 inter parvos: « Hæc itaque sapientia quæ Dei erat, et Deus erat, de sinu Patris ad nos veniens, edificavit sibi domum, ipsam scilicet matrem suam Virginem Mariam, in qua septem columnas excidit. Quid est in ea septem columnas excidere, nisi ipsam dignum sibi habitaculum fide et operibus preparare? nimirum ternarius numerus ad fidem, propter sanctam Trinitatem; quaternarius porro ad mores, propter quatuor principales virtutes. Quod autem in B. Maria sancta Trinitas fuerit (hæretico dico per præsentiam majestatis, ubi solus Filius erat per susceptionem humanitatis, testatur nuntius cœlestis, qui et arcana mysteria reserans ait: Ave, gratia plena, Dominus tecum.) Et post pauca: « Spiritus S. supervenit in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ecce habes Dominum, habes virtutem Altissimi, habes Spiritum Sanctum, habes Patrem et Filium et Spiritum Sanctum. » Et inferius: « Fuit igitur B. Virgo Maria foris in proposito, temperans in silentio, prudens in interrogatione, justa in confessione. His itaque quatuor morum columnis, et tribus fidei prædictis, extraxit in ea sibi domum Sapientia cœlestis: quæ adeo mentem ejus replevit, ut de plenitudine mentis fœcundaretur et caro; ac Virgo singulari gratia eandem ipsam sapientiam carne lectam pareret, quam prius mente pura conceperat. Nos quoque, si ejusdem sapientie fieri domus volumus, necesse est ut eisdem septem columnis extruamur, id est ut fide et moribus ei preparemur. Et in moribus quidem solam puto sufficere justitiam, tamen virtutibus circumfultam. Itaque ne errore fallatur ignorantia, sit ei prævia prudentia. Sint hinc inde temperantia atque fortitudo, ne forte labatur, vel in dexteram, vel in sinistram partem declinandum. » Vide Franciscum Suarez, III part. *Quæst. XXVII*, art. 3, disp. 4, sect. 2, ubi docet Deum B. Virgini in conceptione primaque ejus sanctificatione indidisse omnes habitus virtutum, omniaque dona Spiritus Sancti. Unde S. Athanasius, serm. *De sanctissima Deipara*, illi applicans illud Psalms: « Sanctificavit tabernaculum suum Altissimus, » asserit in ipsam descendisse Spiritum Sanctum cum omnibus suis virtutibus essentialibus; et S. Bonaventura in *Psalterio Virginis*, loco *Te Deum laudamus*: « Tu, ait, sponsa et mater regis æterni; tu templum et sacrum Spiritus Sancti, lotius beatissimæ Trinitatis nobile trichinium. » Audi B. Petrum Chrysologum, serm. 141: « Quantus sit Deus satis ignorat, qui hujus Virginis mentem non stupet, animum non miratur: pavet cœlum, tremunt Angeli,

natura non sufficit, et una puella sic Deum in suis pectoris capit, recipit, oblectat hospio, ut patrum terris, cœlis gloriam, salutem perditis, vitam mortuis, terrenis cum cœlestibus parentelæ, ipsius Dei cum carne commercium pro ipsa domus exigat pensione, ut implatur illud Propheta: Ecce hæreditas Domini, filii; merces, fructus ventris. »

Quocirca per domum sapientie accipiunt uterum B. Virginis S. Ignatius, epist. ad *Philippenses*: « Sapientia, ait, edificavit sibi domum, et factus est sicut homo Deus cum corpore, quod suscepit ex Virgine, non ex collectione scilicet, aut semine viri: Virgo enim, inquit Isaias cap. VII, in utero concipit et parit filium. » Et S. Hieronymus in cap. VII *Isaiæ*, ad illud: « Ecce virgo concipiet. » De Deipara quoque explicat S. Ihephonus, lib. *De Virginitate Deiparæ*, et serm. 3 *De Assumpt.*, et S. Bernardus, serm. 9 ex parvis: « Quid est, ait, in ea septem columnas excidere, nisi ipsam sibi dignum habitaculum fide et operibus preparare? » Petrus Damianus, serm. *De Nativitate*, similiter de Virgine exponit, quam dicit esse domum columnis septem suffultam, septem scilicet donis Spiritus Sancti dotatam. S. Hieronymus in *Isaiæ* cap. III, et lib. *Contra Helvidium*, uterum Deiparæ vocat « sacri ventris hospitium, cujus novem mensibus habitator fuit Jesus. » Andreas Cretensis, orat. in *Sabatato Angel.*, « consecratum » vocat « regis palatium; unicuique illius, qui nusquam captus, habitaculum. » Georgius Nicomediensis orat. *De Oblat.* « domum gloriosam » vocat. Similiter S. Bonaventura in *Speculo*, cap. VIII, de ea vult dici illud *Psal. XCII*: « Domum tuam decet sanctitudo, de domo. » Et patriarcha Jacob, *Genes. cap. XXVIII*, de eadem mystice pronuntiavit: « Non est hic aliud, nisi domus Dei et porta cœli. » Denique S. Epiphanius, *heresi. 73*: *Pro Verbum caro factum est*, inquit Salomon: « Sapientia edificavit sibi domum. »

Anagogice, Sapientia edificat sibi domum, cum suis discipulis et filiis, puta sapientibus, qui juxta sapientiam et virtutem vixerint, post mortem det corpus gloriosum, juxta illud Christi *Joan. II*, vers. 19: « Solve templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud, » q. d. Crucifigit me, et corpus meum occidite, atque ego illud tertia die a morte ad vitam gloriosum suscitabo. Unde subdit S. Joannes: « Ille autem dicebat de templo corporis sui. » Rursus cum eis dat domum et thronum in cœlo, juxta illud S. Pauli: *II Corinth. cap. V*, vers. 1: « Scimus quoniam si terrestris domus nostra hujus habitacionis dissolvatur, quod edificacionem ex Deo habemus, domum non manum factam, æternam in cœlis. »

2. IMMO LAVIT VICTIMAS SUAS (Arabicus, *holocausta* *Vers. 8*.)
SUA, MISCUIT VINUM, ET PROPOSUIT MENSAM SUAM. — Septuaginta, *maclavit* (S. Ambrosius, lib. I *De Fide*, cap. VII, *interfecti*) *hostias suas, miscuit in cratera vinum suum, et mensam suam paravit*

Anagogice
domus
Dei
est
corpus
Ihu in
cœlis

Chaldeus, *ordinavit*; Syrus, *preparavit*; Aquila, *disposuit*; Arabicus, *posuit*; Symmachus, *apposuit*; Theodotion, *stipavit*; Vatablus, *instruxit mentem suam*; Cajetanus, *lanxavit lanationem suam*; Tertullianus mox citandus, *sophia jugulavit filios suos*. Pro *mixta*, id est *victimam*, legit *vinci*, id est *filios*. Pro *miscuit* Cajetanus vertit, *colavit*, id est purgavit, defecavit vinum, *q. d.* Purum et limpidum merum apposuit. Verum Hebræum *מִשְׁכָּח* *miscuit* significat *miscuit*, non *colavit*. Et solebant veteres, tum sanitatis, tum sobrietatis studio, vinum aqua *miscere* et *diluere*, ne caput feriret, hepar accenderet, et bilem acueret, itaque concitaret ardore et febris. Adde dilutum facilius concoqui et ad cor deferri quam merum. Ita Hippocrates et Galenus, ac ex his Cornelius Celsus, lib. I *De Medic.* cap. iv. Unde Abu-Ezra hic: Vinum, inquit, aqua temperatum ita prodest potandi, sicut concoctio vescenti (1).

Mystice primo. Anastasius Nicenus, *Quæst. XI. in Scriptur.*: «Christus, inquit, suam divinitatem carni univit, tanquam vinum merum aqua diluens.» Et S. Hieronymus in cap. ii *Ecclesiaste*: «Sapientia, inquit, in cratere mixto prætereuntes ad se convocat. Corpus Domini craterem magnum debemus accipere, in quo non merca divinitas, ut in cælestibus, fuit, sed propter nos humanitate media temperata est, et per Apostolos in *minora calices*, scyphos parvulos et crateres, in toto orbe credentibus effusa sapientia est.» *Secundo, in miscuit* significat mixtionem aquæ cum vino in Eucharistia, de quo mox. *Tertio*, quod Christus præceptorum suorum poculum ex narratione historica, et intelligentia spiritali contempnari, ait S. Gregorius mox citandus. *Quarto*, quod ex Judæis quasi ex mero, et ex Gentibus quasi ex aqua unam Ecclesiam commiserunt, ait Casarius Arelatensis, homil. 7 *De Pascha*. *Quinto*, aqua mixta vino significat Deum adversa prosperis miscere suis fidelibus.

Quæres, quænam hic mensa, quæ *victimam*, quod vinum ad litteram intelligitur? Doctus Interpres censet hæc omnia nihil significare, sed tantum per ethopoïam ad ornatum parabole adhiberi: parabolam autem convivii sapientie non aliud significare, quam sermonem et doctrinam sapientie, eo quod olim sapientes in convivii suam sapientiam deponere et docere solerent. Verum cum hæc omnia parabola, puta convivii sapientie, necessitate sint partes, videntur necessario aliquid representare, et parabolice significare, æque ac ipsa parabola. Unde ceteri interpretes singula hæc explicant et adaptant. Quocirca

Nota primo. Mensa tum in Scriptura tum apud profanos est symbolum alimonie, deliciarum omniumque bonorum. Talis maxime fuit mensa

(1) Alii, *miscuit*, id est, condidit aromate ad suaviorem et conciliandum saporem.

Solis apud Ægyptios, omnibus epulis quotidie instructissima, et cuius accedere volenti semper parata, de qua Herodotus, lib. III. Similis, imo longe opimior et præclarior est hæc mensa sapientie.

Nota secundo. Veteres inter epulas sacrificabant, imo sacrificium epulo sacro claudant. De Judæis patet *Exodi* xii. De Christo et Christianis patet in ultima Christi cæna, ubi post sacrificium et epulum agni instituit sacrificium et epulum Eucharisticum, ac deinde ardentem illum de sapientia, id est charitate, habuit sermonem, *Joan.* xiii et sequent. De Gentilibus liquet ex Macrobio, Virgilio, Homero, Athenæo, qui victimis subjungunt epulas, imo sacrificia vocant quasi sacras epulas.

Nota tertio. Alluditur hic ad mensas veterum, quæ non minus sapientia, et eruditio ac sapientibus colloquiis, disputationibus, lectionibus, quam dapibus et vino condebantur, ut pulchre docet Plutarchus, lib. I *Sympos.* problem. 4. Macrobius, lib. VII *Satur.* cap. i, Gellius, lib. VI, cap. xiii, Athenæus, lib. XV *Dipnosophist.* (id est *Cenarum sapientum*) cap. xxi. Tales fuerunt mensæ et cæne Christi *Luce* cap. xxi, vers. 38, et cap. xxii, vers. 15, ac Christianorum primorum, teste Tertulliano, *Apolog.* xxxix, adhibita etiam lectione S. Scripture, ut docet S. Augustinus, lib. *De Comuni vita sacerdotum*, et epist. 109. Simile hic instruit convivium sapientie.

Respondeo ergo: Per mensam hæc et convivium accipitur sacrificium, et eo peracto agape sive convivium, quod offerentis et sacrificantis in atrio templi instruebant ex victimis Deo sacrificatis: harum enim pars magna in victimam pacificam debebat offerentibus, ut dixi *Levit.* iii. Sapientia ergo, invitans suos ad hæc mensam, facite invitavit ad offerendum Deo sacrificium. Hic enim est primus actus religionis, summæque Dei cultus, quem præscribit sapientia: utque cum voluptate obeant, simul eos invitavit ad epulum sacrum ex victimis Deo oblati, quod ipsa per sacerdotes et Levitas, perque pios offerentes et convivas condebant sermonibus doctis et piis, præsertim sententiis ex Scriptura petitis, quæ omnia hic nomine mensæ et convivii significantur. Atque hæc mensa optime representat allegorice mensam Eucharisticam, ejusque grænes, de qua passim Patres hæc locum accipiunt, *si me ostendam.* Quocirca partialiter S. Gregorius citatus vers 1, et ex eo Beda per mensam accipit S. Scripturam: «Quæ fessos, ait, atque a sæculi oneribus venientes pane verbi reficit.» Et Anastasius Nicenus: «Paravit, ait, mensam suam, scilicet Trinitatis cognitionem.» In mensa enim exponebatur codices, v. g. Biblia, ut a quolibet legentur, juxta illud: «Fiat mensa eorum coram ipsi in lacuum:» *mensa*, id est S. Scriptura, inquit Origenes, c. mesonymus, Hilarius, Euthymius, Anselmus, Cajetanus et alii, *q. d.* Quis Judæi et

Scriptura nolunt agnoscere Christum, hinc fiat ut ex Scriptura mortem et execrationem petant, ex qua vitam et lumen captabant. Unde sequitur: «Obseurentur oculi eorum.»

Igitur sapientia paravit mensam, victimam et vinum, cum in Levitico sanxit ritum colendi Deum per varia sacrificiorum, libaminum, rituum et ceremoniarum genera (in victimis enim quasi cibus adhibebatur vinum quasi potus qui libabatur, id est effugedepatur Deo): ut iis Judæos pie semper ac juvende in Dei cultu occupatos detineret, ne ad Gentium idola et vitia deflecterent: præsertim quia inter sacrificia Sacerdotes et Levitæ canebant Dei laudes et psalmos, tum voce, tum musicis instrumentis: legebant Moesen et Prophetas, eosque populo explicabant docendo et concionando, ut jam fit in templis Christianorum sub Missarum solemnibus. Mensa ergo hic est altare: altare enim est mensa Dei, in qua ipse cum hominibus convivatur. Unde in Scriptura altare vocatur mensa, ut dixi initio Levitici. Porro ut eo alerent Judæos, illecebram adhibet mensæ convivialis quam post sacrificium fieri sanxit in atrio templi, quam simul sacris sermonibus condiri instituit. Huc ergo omnes invitavit sapientia, ut ad Dei cultum omnemque virtutem traduceret. Vetus est Comici dictum: «Nunquam satis ornatur navis et mulier;» adde tertium, «nec mensa principis.» Quocirca hæc sapientia mensa, æque ac navis et sponsa, tot ferulorum, rerumque jam dietarum varietate ac elegantia ornata est, ut amplius ornari nequeat, perinde ac decet mensam Dei.

Rursum nostrat Pineda, lib. III *De Rebus Salom.* cap. xxviii, sicut per domum sapientie accepit academiam a Salomone erectam in monte Sion juxta templum, sic per mensam accipit mensam academiam, in qua doctores accumbant cum discipulis, ut eos docerent temperantiam æque ac sapientiam. Sic mensa Minervæ consecrata celebris est, et mensa Ægyptia quæ in schola Ægypti proponebatur. Athenæus quoque, lib. V, post initium, illas philosophorum Atheniensium conviviales delicias celebrat, quibus pecuniam Theophrastus legavit, non ut in eo congressu lascivie et impudenter protrevirent, sed ut, quos haberent in convivio sermones, temperanter et docte persequerentur. Sed illud subjicit, philosophis etiam curæ fuisse cum juvenibus ad se coactis stata quadam lege convivari, quam Xenocrates in Academia sua, itidemque Aristoteles in Lyceo moderantibus conviviis tulerunt. Ac nihil notius quam cæna philosophica. Et quæ opulos illos Mithreæ panis oblatione initiari docet Justinus in *Apolog.* ad *Antoninum Pium*, et Tertullianus *De Prescription.* capite xl, ubi videndus Pammellus, num. 244, S. Hieronymus super *Amos prophetam*; idemque epist. ad *Paulinum* scribit Apollonium de Tantalii fonte potasse, id est, ut Philostratus lib. III *De Vita Apollonii*, cap. x, scribit, de illa potione quæ non tam *benivola* vulgaris, quam mutui consensus inter

sapientes firmandi causa apud Indos inventa est. Erat autem (ut idem Philostratus cap. vii narrat) eo loco, ubi Iarachus cum Apollonio eorum alii sapientibus colloquebatur, statua Tantalii subscriptione notata, similis propandis phialam, quæ plena sitienti cuiquam abunde potum sufficeret: in qua humor distillabat incorruptibilis potiosis, quæ phialam mensura nunquam excedit. Existimare enim opus est Tantalum diendi facultate non caruisse, cumque ipsam hominibus communicaret, inceptum a poetis fuisse; quod necar hominibus bibendum dedisset. Hæc Pineda.

Allegorice, hæc de mensa a Christo incarnato proposita in Ecclesia tum in cruce, tum potius in Eucharistia, passim accipiunt Patres et Interpretes, indeque probant Eucharistiam esse sacrificium, simul et Sacramentum: victimam enim notant sacrificium; mensa, id est altare, notat lam sacrificium quam Sacramentum. De mensa, id est altari crucis, explicat S. Gregorius et ex eo Beda, Lyranus et alii, *q. d.* Sapientia immolavit victimas, id est Christus immolavit seipsum in cruce. Audi S. Gregorium, lib. XVII *Moral.* cap. xvii: «Immolavit Dominus victimas, seipsum offerendo pro nobis. Miscuit vinum, præceptorum suorum poculum ex narratione historica, et intelligentia spiritali contempnans. Unde alias dictum est: Calix in manu Domini vini meri plenus est mixto. Et posuit mensam, id est Scripturam sacram, quæ fessos ad se, atque a sæculi oneribus venientes pane verbi nos reficit, et contra adversarios sua refectione nos roborat. Unde et alias ab Ecclesia dicitur: Posuisti in conspectu meo mensam adversus eos qui tribulant me. Misit ancillas suas, Apostolorum videlicet animas in ipso suo initio infirmas, ut vocarentur aremet monia civitatis: quia dum æternam vitam denuntiant, ad alta nos monia supernæ civitatis levant, quæ profecto monia nisi humiles non ascendunt. Unde illic ab eadem sapientia subditur: Si quis est parvulus, veniat ad me; ac si aperte dicat: Quisquis se apud se magnum æstimat, aditum sibi mei accessus angustat: quia tanto ad me altius perfringit, quanto uniuscujusque mens apud se verius humiliatur.»

Dices: Christus unicuique obtulit victimam, id est seipsum: hic autem sapientia dicitur obtulisse victimas in plurali. Respondeo, Christi victimam omnes victimarum species complexa est: ipsa enim fuit holocaustum, sacrificium pro peccato, et victimam pacificam; ita Lyranus, imo S. Augustinus, lib. XVII *De Civit.* xx. Adit Beda Christum non unam, sed multas sustulisse mortes, ac instar multarum fuisse victimarum; quia plurima tormenta sustinuit, quorum quodlibet sufficiebat ad eum occidendum. Denique in Hebræo non est *victimam*, sed *victimam* in singulari. Accedit auctor *Catene Græcor.*: «Miscuit in cratere vinum, inquit, nam primo Christus Dominus seipsum Deo Patri in hostiam et sacrificium pro omnibus obtulit. Mox Apostolos, aliosque et alios mortis sue

imitatores fecit. Per craterem autem Ecclesiam accipere licet: hæc enim sanguinem, qui pro ea effusus est, in usum suscepit, sancteque custodit atque distribuit. Quem etiam sanguinem arcaniori quadam ratione vinum hoc loco appellat, sicut mensam in ipsa instructam paratamque Domini corporis escam. Possunt etiam per hæc vasa ad mysticam oblationem deputata, ut sunt altaria, calices aliique ejusmodi, accipi.

De mensa Eucharistiae accipiunt alii passim. Unde et hic triusque speciei, scilicet panis et vini, fit mentio, ac victimæ carnis et sanguinis Christi: atque in celebratione Eucharistiae canuntur Deo laudes, recitantur prophætiae, Epistolæ, Evangelia, fiunt conciones et exhortationes. Denique post eam olim celebrabatur agape, id est convivium sacrum, in symbolum charitatis, uti dicitur *1^a Corinth.* cap. xi, vers. 21 et vers. 33, et cap. xiv, vers. 26. Alludit ad mensam panum propositionis, que erat typus Eucharistiae et eleeosyne, de qua dixi *Evod.* xv, 23. Alludit quoque ad illud *Psal.* xxii: «Parasti in conspectu meo mensam, adversus eos qui tribulant me.» Ita S. Augustinus, lib. xvii *De Civit.* xx, et S. Athanasius in *Disput. contra Arium in Concilio Niceno*: «Sapientia, ait, posuit mensam sacri altaris, in quo panis, id est sacrosanctum Christi corpus et sanguis, edendus et bibendus proponitur.» Et S. Cyprianus, lib. II, epist. ad *Ceciliam* (quæ in alia editione ordine est 63): «Per Salomonem, ait, Spiritus Sanctus typum Domini sacrificii ante præmonstrat, immolatæ hostiæ, et panis et vini, sed et altaris et Apostolorum, faciens mentionem: Sapientia, inquit, edificavit sibi domum, et subdidit columnas septem, mactavit sens hostias, miscuit in craterem vinum suum, et paravit mensam suam, etc. Atque ex *miscuit* probat in calice Eucharistiae vinum esse aqua miscendum: «Vinum mixtum, ait, declaratur, ut est calicem Domini aqua et vino mixtum prophætice voce denuntiat, ut appareat in passione Domini (in ultima Christi ad passionem euntis cena) id esse gestum quod fuerat ante prænuntiatum.» Simili modo ex *miscuit*, aquam vino esse miscendam in Eucharistia colligit R. Samuel Marochianus, lib. *De Adventu Messie*, cap. xx, qui exstat tom. V *Biblioth. SS. Patr.*, et S. Isidorus, *De Vocat. Gentium*, cap. xxvi: «Dei, ait, sapientia constituit sibi domum, S. Ecclesiam, in qua mactavit sui corporis hostias, in qua miscuit vinum sui sanguinis in calice Sacramenti divini, et paravit mensam, id est altare Domini, cum mittens servos suos Apostolos atque doctores ad insipientes, id est ad omnes gentes verum Deum adorantes, ait: Venite, comedite panem meum, et bibite vinum quod miscui vobis.»

Sic et S. Hieronymus in *Isaie* cap. lv, vers. 4: *Ecce absque argento, etc., vinum et lac*: «Spreto, ait, illo argento, et pecuniis quibus aquas Domini trahere non possumus, pergamus ad eum qui ca-

licem tenens Sacramenti discipulos oquebatur: Accipite, et bibite, hic est sanguis meus, qui pro vobis effundetur in remissionem peccatorum. Quod vinum miscuit et sapientia in craterem suo, omnes stultos seculi, mundi que sapientiam non habentes, provocans ad bibendum. Denique ita hunc locum accipit Ecclesia in officio Vener. Sacramenti. Vide Adrianum Finum in *Flagello Judæorum*, lib. VIII, cap. xi.

Quocirca ad hoc sapientia convivium alludit Christus in parabola invitatorum ad nuptias; mittens enim servos ait: «*Invitatis*: Ecce prandium meum paravi, tauri mei et altilia occisa sunt, et omnia parata; venite ad nuptias,» *Matth.* xxii, 4. Nam primo, nuptiæ, id est nuptiale convivium, quod rex, id est Deus, fecit filio suo, est mensa Evangelicæ doctrine et Sacramentorum, maxime Eucharistiae a Christo instituta. Ita Origenes, Euthymius et auctor *Imperfecti* ibidem; secundo, filius regis sponsus est Christus incarnatus, cujus sponsa est Ecclesia. Ita Origenes, Hieronymus, S. Hieronymus, S. Gregorius ibidem: hujus nuptiæ quasi sponsalia inchoata sunt in incarnatione, et consummabuntur in celo; tertio, invitati sunt Judæi, tum ante, tum post incarnationem Christi, ut eam vel futuram, vel factam crederent. Ita idem; invitati, inquam, per legem Moysi, deinde vocati per servos, id est Prophetas et Apostolos; quarto, tauri et altilia significant convivium opipare esse instructum. Ita S. Hieronymus et Euthymius, itaque idem est: «Tauri mei et altilia occisa sunt,» cum eo quod de sapientia hic dicitur: «Immolavit victimas.» Altilia enim non sunt altes, id est volucres, sive aves; sed vituli, boves, oves, etc., ita dicti ab alendo. Hoc enim significat Græcum *αἰνία*, id est altilia saginata, uti vituli saginantur ad splendidum convivium.

Physice et ethice, sicut per factam domus sapientie Hebræi in Sanedrim accipiunt creationem mundi, sic consequenter S. Dionysius Areopagita, epist. 9 ad *Titum Pontificem*, per mensam accipit mensam divine providentiæ, qua mortalibus de omnibus affatum providet, duplicesque cibos, solidos scilicet et liquidos, proponit: «Calix autem, inquit, cum rotundus sit, et patente apertoque ore, patentem et omnia obuntem omnium providentiam, que principio et fine caret, significat.» Accedit R. Salomon: «Proposuit mensam suam, hoc est, inquit, rerum omnium naturam sicco et humido constare voluit. Vide Theodoretum et alios lib. *De Providentiâ et Nemine*».

Tropologice, mensa sanctorum dogmatum et exemplorum in Ecclesia proponitur, et ad eam quisque fidelis invitatur, juxta illud *Ecl.* xv: «Cibabit illum pane vite et intellectus, et aqua sapientie salutaris potabit illum.» Unde auctor *Catene Græc.*: «Per victimas, ait, divina mysteria secretaque eorum sensa, nec non sanam sinceramque S. Litterarum interpretationem denotat.»

Mensa doctrinae et exemplorum

Huc facit quod, ut notat Pineda, a sponso Christo dictum est Ecclesie *Cant.* vii, 2: «Umbilicus tuus crater tornatilis, nunquam indigens poculis;» pertinet enim tum verter, qui est mentis symbolum, ubi cibus doctrinae concoquitur; tum crater et poculus ad sapientiam significationem, sic exponit S. Ambrosio, super *Evod.* xvi: «Est enim, ait, in omni doctrina ornatus, et potus spiritualis non deficiens plenitudine, et cælestium secretorum cognitione.» Et forte colludit cum hac ipsa cæremonia illud *Isaie* xxviii, 9: «Quem docebit scientiam? et quem intelligere faciet auditum? ablatos a lacte, avulsos ab uberibus,» id est, a poculis que uberum figuram habebant, in quibus, initiandi sapientie discipulis vase in modum femine mammæ lac propinabatur apud Ægyptios, ut Apuleius auctor est. Hoc est quod ait Christus *Matth.* xxii, 4: «Ecce, ait, prandium meum paravi, tauri mei et altilia occisa sunt, et omnia parata; venite ad nuptias.» Ubi auctor *Imperfecti* apud S. Chrysostomum, *hom.* 41, per mensam accipiens S. Scripturam, per tauros exempla Prophetarum, Sacerdotum et Martyrum in S. Scriptura nobis ad exemplum proposita: «Quidquid, ait, jam queritur ad salutem, totum jam adimpletum est in Scripturis. Qui ignarus est, inveniet ibi quod discat. Qui contumax est et peccator, inveniet ibi futuri iudicii flagella, que timeat. Qui laborat, inveniet ibi gloriam et promissiones vite perpetuæ, que manducando exciletur amplius ad opus. Qui pusillanimis est et infirmus, inveniet ibi mediocres justitiæ cibos, qui, etsi pinguem animam non faciunt, tamen mori non permittunt. Qui magnanimis est et fidelis, inveniet ibi spiritalis escas continentioris vite, que perducant eum prope ad Angelorum naturam. Qui percussus a diabolo, et vulneratus est in peccatis, inveniet ibi medicinales cibos, qui eum per penitentiam revocant ad salutem. Ut quid ibi scriptum est: Achar propter furtum lamine aureæ lapidatus, nisi ut habeant fures quod timeant? ut quid ibi filii Israel, qui fornicati sunt cum filiabus Moabitum, percussi refugerunt in Beelphegor, nisi ut habeant fornicatores, quod perhorrescant? ut quid concupitores carnis castigati sunt in deserto, nisi ut nemo delicias concupiscat? ut quid David arguit Nathan et suscepit, nisi ut adulteri et homicidæ penitentiam remedium non desperent? Raab meretrix sanctificata est, ut meretricibus spes daretur. Nil ergo minus est in hoc convivio, quam quod necessarium habet salus humana.»

Huc facit quod scribit B. Petrus Damianus in Vita S. Bonifacii Camaldulensis monachi, deinde Archiepiscopi ac Martyris, nimirum eum, cum Othonii III Imperatoris esset consanguineus, itaque cæcus, ut ab eo non alio nomine vocaretur nisi anima mea, ingressum in ecclesiam S. Bonifacii Martyri cognominis suo dicebat, imitatiois illius et Martyri desiderio acensum dixisse: «Et ego Bonifacius vocor; cur ergo etiam ipse Martyr esse

non debeo? Quocirca ingressus ordinem S. Remualdi, indeque creatus Archiepiscopus et Apostolus Russiae, eam cum suo rege tum prædicatione, tum miraculo, scilicet per medium ignem transeundo illasus, convertit, ideoque a regis fratris occisus Martyr occubuit. Sic et Cornelius Nicæus, teste Mireo, assidue a S. Cornelio Pontifice et Martyre sibi cognomine postulavit, ut et tunc sanguine, quam nomine assimilaretur, ac imprecavit; nam anno Domini 1572, captus in Hollandia, sanguinem pro Christo dedit.

Magis apposite et proprie S. Augustinus, lib. xviii *De Civit.* xx, et Anastasius Nicæus, *Quæst.* xl *de Script.*, victimas, quas sapientia immolavit, accipiunt Martyres, quos sibi ipsi Deus quasi victimam vit. Sic et Tertullianus, lib. *Contra Gnost.* cap. vi: «Sophia, ait, jugulavit filios suos; sapienter utique jugulavit, dum in vitam: rationaliter, dum in gloriam. O bonam matrem! Opto et ipse in filios ejus redigi, ut ab ea occidat. Opto occidi, ut filius fiam.» Rursus victima est mortificatio, et quasi crebro et quotidie oportet mortificari se Deo, hinc ait victimas in plurali; que tamen conditiæ sunt vino orationis et devotionis; sicut enim amari cibi melle condiuntur, ut gustui suaves dulcesque evadant: sic et mortificatio oratione condienda, ut Deo hominique dulcescat.

Angogice, illo mensam accipit æternæ refectionis et beatitudinis, de qua Christus *Luce* xxi, vers. 29: «Et ego dispono vobis, sicut disposui mihi Pater meo regnum, ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo.»

Mystice, B. Virgo mensam nobis intruxit et proposuit, cum Christum panem animarum verum nobis peperit et dedit. Ita S. Epiphanius, serm. *De Laud. Virg.*: «Ipsa est, ait, fidei mensa intellectualis, que vitam panem mundo suppeditavit.» Et post pauca: «Locuples est, carissima, et virtutibus plena, mensa virginea, optimis quibusque cibis abundans, quibus terra fruatur. O candidabrum virginem,» etc. Et Andreas Cretensis, hom. 2 *de Dormit. Virg.*: «Ostendit, ait, suam sanctissimam mensam, utpote que ipsum totum vivificum panem Dominum nostrum Jesum, qui est vita æterna, qui creatam continet naturam, ex fermento Adamicæ conspersions panem factum in utero gestavit economicè; qui eos qui sancte ad eum accedunt, reducit ad vitam æternam, et reddit in Deo perfectos. Quo quocumque modo eos quoque expurgat, et reddit immortales, qui participatione novæ illius et pulchræ ejus communiois et eorum junguntur, fiuntque familiares.» Eadem miscet vñ namque, cum lites et schismata sopit, cum homines et gentes diversas, hæc adversas, commiscet, vinculoque pacis et charitatis in unum consociat. Unde Synodus Constantinopolitana, epist. ad *Honorsidam Pontificem*: «Ecce, ait, intercessionis sanctissimæ Virginitis olim que fuerant membra divisa, per Spiritus Sancti gratiam ad unitatem et charitatem perfectam ni redacta.» Denique ipse

quasi sophia jugi lavit filios suos, ut legit Tertullianus, puta Christum Dominum et Martyres, quos astans cruci Deo immolavit, et indes immolat et offert. Unde S. Ephrem, *De Laudibus Virginis*: «Virginem, ait, appello, vel sacerdotem pariter et altare, quae quidem mensam ferens, dedit nobis caelestem panem in remissionem peccatorum.» Et B. Petrus Damianus, *serm. De Nativitate*: «Cibum, inquit, Eva tradidit (alii legunt *comedit*), peccatum quem nos aeterni convivii fame mulcavit; cibum Maria dedit, qui nobis caelestem convivii aditum patefecit.» Porro noster Fernandez in *Genes.* III, num. 7, recte expendit *misit vinum*. Quid, queso, ait, immiscuisti, o Dei mater, sanguini filii tui, quem potamus? Anne limpidissimam aquam lacrymarum, quas in circumfusione, et quas stans juxta crucem Jesu mater ejus, ex oculis istis virginis copiosissime et dolentissime profudisti, visaque fuit ista commixtio sanguinis filii et lacrymarum matris? o si mihi fluere voluisset, quo anima mea perfunderetur! Jure optimo D. Epiphanius vocat Virginem Dei matrem, mensam fidei. Nimirum in Virgine sua matre dignissima proposuit Deus omnia quae divinus amor excoegitavit epularum, ac ciborum, et condimentorum, et liquorum genera, quibus animae piorum et impiorum etiam pasci, nutririque confirmarique possent. Veniam (inquit), bibite vinum quod miscui vobis. An illud verbum *miscere* in poculis amatoris, a Virgine matre similiter usurpat? Quod si ita est, significat plane in divina Eucharistia vis quaedam admirabilis, et velut amatoria, quam piorum animae sentiunt, cum rite communicantes corpus et sanguinem Domini, solvantur in lacrymas, ardent amoris ignibus, humana omnia fastidiunt, divinis inhiant, suique prorsus immemores, ac priore vita deposita sese in Deum suum transmutant. Haec Fernandez.

3. MISIT ANCILLAS SUAS, UT VOCARENT AD ARCEM ET AD MOENIA CIVITATIS. — Pro ancillis hebraice est *נערות naaroth*, id est puellas, juvenecas, adolescentulas, ut vertit Theodotion, Aquila et Symmachus. Septuaginta vero et Syrus vertunt, *servos suos* (1). Sic ergo habet Septuaginta, *misit servos suos, convocans cum excelsa predicatione ad craterem; Syrus, misit servos suos ad vocandum super excelsa*. Sic et Arabicus; uterque enim solet sequi Septuaginta.

Quaeres primo, quemnam sint ancillae sapientiae ab ea misae ad evocandum, et invitandum omnes ad ipsius convivium? Cajetanus accipit virtutes omnes quae sapientiae ancillantur, hominesque ad virtutem et caelum invitant; alii accipiunt Angelos: omnes enim sunt administratorii spiritus in ministerium missi propter eos qui hereditatem ca-

(1) Sed minus concinne. Poscebat enim allegoriae ratio, ut Sapientia, mulier, servitio et comitatu suo adhiberet non viros, sed feminas.

piunt salutis, *Hebr.* I. R. Salomon accepit Adamum et Evam, item Moesen et Aaronem.

Verum dico per ancillas accipi praedicores, doctores, Prophetas et Apostolos. Hi enim olim ante Christum omnes vocabantur ad Synagogam et Dei cultum, post Christum vocant omnes ad Ecclesiam et Christianismum. Hi vocantur ancillae, id est servi, ut vertit Syrus et Septuaginta, quia sapientia hic inducitur ut matrona et domina, quae in sui obsequium poscit ancillas potius quam servos, puta feminas potius quam viros. Hoc enitit exigit decor et venustas parabola.

Tropologie, addit Hugo Prophetas et Apostolos vocari ancillas ob vilitatem et humilitatem, et quia, inquit, molles erant et tractabiles ad infirmitatem proximi sublevandum. Sic enim ancilla ad infima et durissima quaeque sese demittunt, ut haec suae obsequantur. Quocirca sicut oculi ancillarum semper in haerem respiciunt, sic oculi Apostolorum et Doctorum in Christum, ut ejus nutus observent, ab eo gratiam postulent, illi se totos mancipiunt, juxta illud: «Sicut oculi ancillae in manibus domine suae, ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec miseretur nostri,» *Psalm.* cxxii, 2. Ita S. Gregorius, cujus locum et verba superius recitavi, atque ex eo loquitur Hugo. Sic et S. Athanasius in *Disp. contra Arium in Concilio Niceno*: «Post igitur illius (Christi) passionem, ait, et resurrectionem emisit sapientia, virtus, Verbum, Deus Apostolos ad omnes stultos, virtus scilicet Gentiles, Deique ignaros, proposita mensa, nimirum sacro altari; et in eo panem caelestem, et incorruptibilem, et omnibus vitam donantem qui inde participarent, sanctum videlicet et sacrosanctum suum ipsius corpus, exhibuit; vinumque exhilarans mentem, quod sobrietatem facit in eoque animo qui inde degustant, quasi in craterem suum ipsius sanguinem miscet, advocans sibi praedestinos atque electos per Apostolos suos. Aliae ita omnis quidem stultitia omittitur, regni autem caelorum cives efficiuntur, qui illos audiunt.» Denique Honorius Augustodunensis presbyter Commentarium brevem scripsit in *Proverbia Salomon* qui exstat tom. XII *Biblioth. SS. Patrum*, edit. Coloniensis, ubi per ancillas accipit Apostolos; hos enim vocari ait ancillas, «propter insipientiam, infirmitatem et paupertatem; quia idiotas, infirmos, pauperes et despectos elegit Christus Apostolos, quos ad predicandum misit in mundum, ut fideles populos vocarent ad arcem aeternae beatitudinis, et ad moenia Jerusalem caelestis.» Haec Honorius. Eadem ad verbum habet Salonius, qui longe anterior fuit Honorio.

Tropologie et mystice, per ancillas accipit eloquentiam, scientiam, miracula, virtutes sanctorum fidelium vere sapientium; per haec enim quasi per ancillas sapientia et Deus homines ad se allicit et advocat; ut patet ex *Actis Apostol.* et *Vitis Sanctorum*. Unde D. Thomas, I part. *Quest.* I, art. 5: Sapientia, inquit, est Theologia, ancilla

sunt aliae scientiae, quae Theologiae, sive scientiae rerum divinarum, ancillantur et inserviunt.

Quaeres secundo, quemnam sit arx et moenia civitatis, supra quam, ut Hebraeus, et ad quam, ut habet Noster, ancilla sapientiae omnes ad ejus convivium evocant? Nota Hebraice ad verbum est, *vocavit super*, vel *ad pinnaculo* (vel *fastigia*) *excelsorum urbis*. Nam *על גאב*, quod Noster vertit *arx*, significat *pinnas, fastigia et summities domorum et murorum*: unde Pagninus vertit, *vocavit ad summities excelsorum civitatis*; R. Levi, *vocavit super alas altorum portuum civitatis*; Chaldeus, *vocavit in altitudine colium validorum*; Syrus, *super excelsa*; Vatablus, *misit puellas suas invitatum ad summum arces arcem*. Hoc posito,

Respondeo: quam vers. I vocavit *domum sapientiae* propter amorem et unionem, hic propter munitionem et amplitudinem vocat *arcem et moenia civitatis*, id est arcem et civitatem munitissimam, qualis erat arx Sion, quae et civitas David dicta est, in qua erat Salomonis regia et templum. Simili de causa Ecclesia triumphans vocatur civitas Jerusalem, *Apocal.* xxi, 2.

Arx ergo est templum et synagoga in arce Sion edificata; ac Ecclesia Christiana, quae praedicante Christo et Apostolis in eodem loco inchoata est. Hic arx, quia erat loco edito, et muris circumdatis munitissima instat arce, ut in omnium esset oculis et conspectu, utque inde vocum tubarumque sono longe lateque resonante omnes ad eam evocarentur. Ita noster Pineda, lib. III *De Hebraeo Salomonis*, cap. xxxviii. Porro, inquit, quod subditur: «Et ad moenia civitatis,» procul dubio designatur civitas ipsa David, vel arx Jebusei: haec enim arce nomine appellatur frequenter in Scripturis, I *Paral.* xi, 4, 5, 7; II *Regum* v, 7, 9, et Josepho passim, praesertim lib. VII *Antiq.* cap. iii. Porro quod subditur: «Et ad moenia civitatis,» indicat murum et moenia munitissima, quibus suam civitatem, id est arcem Sion, cinxit David, II *Reg.* v; quem arce murum vetustissimum et fortissimum appellat Josephus, vi; et videtur quidem peculiaris aliqua turris, eaque praecelsa et fortissima, in Sione a Davide exedificata, ut indicatur *Cant.* iv, 4. Quae cum propter altitudinem opportunissima esset ad circumspiciendum et speculandum, opportunum etiam erat sapientiae atque doctrinarum symbolum; quare sapientissimae et loci domum doctrinae constituit Salomon, et ad hanc ipsam rem alludens dixit ad sponsam: «Sicut turris David collum tuum, quae edificata est cum propugnaculis; mille clypei pendet ex ea.» Quod Theodoretus exponente hunc habet sensum: «Habet collum tuum, quod caput tuum et faciem sustinet, omnes aliorum doctrinas, quibus tanquam jaculis cunctos adversarios transfigis. Habet etiam clypeos multos, quibus protegeris, et ignita hostis tela exstinguis. Munita enim es spiritu armatura, et sic facile hostes vulneras cum omnibus fortium sagittis abundes;

cosque modo per Prophetas, modo per Apostolos redarguis, atque ipsorum regeis imbecillitatem.

Tropologie, arx significat Ecclesiam esse murum nitam instur arce, quia undique a demonibus, carne et mundo obsidetur et impugnatur: quare fideles ideo evocari ad convivium sapientiae in arce, et ejus victimis et viro roborati, illique obstricti et devincti acriter arcem hanc propugnent, ac decertent contra omnes concupiscentiae motus aliosque Ecclesiae et fidelium hos

hoc esse convivium militare, quod an praellandum, non ad quiescendum instruitur, juxta illud: «Parasti in conspectu meo mensam adversus eos qui tribulant me,» *Psal.* xxii. Solent enim duces milites praellatos convivio excipere, aut in vinum potumque eis propinare, tum ut eos sibi devinctant, tum ut eos ad pugnam cibo vinoque corroborent. Tale est convivium Eucharistiae, quo quasi militari pascimur, ut contra omnes mundi demonumque phalanges quasi pugiles Christi generose decertemus, juxta illud S. Chrysostomi, hom. 61 ad *Popul.*: «Tantum leones igitur ignem spirantes ab illa mensa recedamus, sicut diabolo terribiles, et caput nostrum revolentes, et charitatem quam nobis exhibuit.» Unde notant nonnulli hanc mensam adumbratam fuisse per mensam panum propositionis, quam cingebat «corona interrasilis», pro qua Septuaginta verbum *καρὸν πινάκων*, quod Complutenses vertunt, *corona pugilum*, sed perperam; verendum enim est cum Romanis, *corona palmi*; hunc enim significat Hebraice *כתר תופאח*, quae est mensura quatuor digitorum, sive palmus, ut vertit Noster et Chaldeus; *כתר* ergo, unde est mensura *πινάκων*, hoc loco non significat pugilem, ut putarunt Complutenses, sed palmum; Hebraeum enim *תופאח* palmum significat, non pugilem.

Secundo, arx, vel, ut Hebraice est, *summitates et pinnas excelsorum urbis*, puta Sionis, notant Ecclesiae altissima et tutissima loca, uti est status perfectionis, qualis cernitur in Ordinibus et Religionibus, ubi viget disciplina. Sapientia enim omnes vocat non tantum ad Ecclesiam et Christianismum, sed etiam ad Christianismi perfectionem et apicem, praesertim omnes sacerdotes, religiosos, doctores, praedicores, qui sunt sal terrae et lux mundi. Hi enim in arce, id est in celitudine sapientiae et virtutum, consistere debent, ut alios eodem magis vita et exemplo quam verbo vocent. Unde Cajetanus vertit, *excavit super humeros excelsorum urbis*; sique explicat, *q. d.* Ancilla, id est virtutes, a sapientia misae ad invitandum omnes idipsum praestant, ac reipsa omnes invitant et advocant, si non ore, sed humeris portentur, id est si non verbis, sed rebus et factis sustententur, et praeparantur per excelsa civitatis, id est per eos qui excellenti statu, conditione et officio; horum enim est sicut statu et gradu, sicut et virtute et meritis excellere, et reliquis antecellere. Sic enim erit excelsa eorum praedicatio, ut ver-

tunt Septuaginta. Talis fuit hoc sæculo S. Carolus Borromeus, qui in excelso virtutum omnium culmine consistens post se traxit Mediolanensem Ecclesiam, quæ moribus adeo sanctis imbuti et decorati, ut viderentur esse paradisi terrestres.

Igitur status perfectionis et Religio est arx Ecclesie, quæ est Sion civitas David, puta Christi. *Primo*, quia instar arcis munita est legibus, orationibus, penitentis, exemplis, exhortationibus, etc. Unde S. Bernardus, *serm. 4 De Dedic. Eccl.*, Religionem vocat arcem Dei, et quidem munissimam: «Optimum, inquit, certe castrum tulisti Christo, si inimicis eius tradideris Claram vallem.» Et S. Hieronymus ad Hedibiam, *epist. 150*: «Vis, inquit, esse perfecta, et in primo stare fastigio dignitatis, fac quod fecerunt Apostoli, vende quæ habes, et da pauperibus, et sequere Salvatorem, et nam solamque crucem virtute nuda sequaris.» Et S. Cyprianus, *De Orat. Dom.*: «Qui renuntiavit jam sæculo, major est honoribus et regno; et ideo, qui se Deo et Christo dedicat, non terrena, sed celestia regna desiderat.» Nam quæquã aquila in arduis posuit nidum suum, *Job cap. xxxix, vers. 27.*

Secundo, quia instar arcis excelsa est. Unde *Apoç. xxi, 2*, Jerusalem celestis vocatur, quia sollicitæ et celis a Deo vocata est, et ad cælum nos ducit. Quocirca S. Bernardus *ad Fratres de monte Dei*, agens de Religiosis: «Quos, inquit, quo nomine dignus appellem nescio, homines celestes, an Angelos terrestres, degentes in terris, sed conversationem habentes in cælis.» Et Climachus, *gradu 4*, monasterium ait esse cælum quoddam terrenum; et ideo quo affectu ac reverentia creditur Angelos ministrare Deo, eodem nos etiam fratribus nostris ministrare debere.

Tertio, quia ipsa est Sion, id est specula: tum quia celestia speculatur, tum quia omnia terrena respicit et despiciat, tum quia ex alto omnes hostium insidias circumspicit et avertit, tum quia ipsa est specula in quam omnium oculi conversi sunt. Quocirca præclare S. Gregorius Nazianzenus, *orat. 4 in Julian.*, Religiosos vivis hisce coloribus pingit: «Videsne, inquit, hos pauperes victi ac lecto carentes, hos humiles et terrenos, et supra terrena; qui inter homines versantur, et rebus humanis sunt superiores; qui vinculis pressi, et liberi sunt; retenti, et teneri non possunt; qui nihil in mundo habent, et omnia habent; qui mundo superiores sunt; fos, inquam, propter mortificationem immortales, propter solutionem Deo conjunctos; qui ab amore alieni, sed divino amore ardentes; quorum fons lucis, et quorum jam radii, splendorisque trajectiones; quorum angelici psalmorum cantus, et pernox statio, et mentis ad Deum excessio ante mortem in cælum se rapiuntis; quorum purgatio, et tamen purgantur, quippe nullum ascensus et deficiationis modum sibi constituent; quorum est conferri et abijci, et quorum simul est super thronos sedere; qui et nuquam

sunt, et incorruptibili vestiuntur indumento; qui in solitudine hujus sæculi, altioris sæculi frequentia ac celebritate fruuntur; qui volutatis abijciunt, et tamen perpetuam atque inexplicabilem animorum oblectationem habent; quorum lacrymæ peccati diluvium sunt, et mundi experimentum; quorum extensio manuum flammam exstinguit.» S. Gregorii comes S. Basilius, *serm. De Monachi institut.*, illum ait, qui sæculo nuntium remisit, hoc imprimis cogitare, semperque animo versare debere, se jam ultra humana nature fines processisse, sequi ipsum et instituto tradidisse, quod sit quam maxime a corpore sejunctum, ac propterea Angelorum conversationem imitandam suscipisse, siquidem hoc angelice nature proprium est, liberum esse a vinculis terrenis, nec omnino distrahi ad aliam ullam pulchritudinem contemplandam, sed oculos in Dei vultum assidue defixos habere. Id exprimit alter S. Gregorius agnomento et rerum gestarum gloria Magnus, mire luget suum a monasterio lapsam, vel potius raptam ad pontificatum, uti patet lib. VII *Registr.*, *epist. 126 ad Leandrum*, et lib. I, *epist. 5 ad Theoctisten sororem Imperatoris*: «Alta, inquit, quietis meæ gaudia perdidisti, et intus corrueas ascendisse exterius videor: unde me a conditoris mei facie longe expulsum deploro. Conabar namque quotidie extra carnem fieri, cuncta phantasmatum corporis ab oculis mentis abigens, superna gaudia incorporaliter videre; et non solis vobis, sed tibi medullis cordis ad Dei speciem anhelans diebam: Tibi dixit cor meum: Quævis vultum tuum, et vultum tuum, Domine, requiram. Nil autem in hoc mundo appetens, nil pertimescens, videbar mihi in quodam rerum vertice stare, ita ut in me pene crederem impletum, quod pollicente Domino ex Propheta didicissem: Sustollam te super altitudines terræ.»

Mystice, B. Virgo mittit ancillas, id est animas sibi devotas, ut alios advocet ad ejus convivium, quod ipsa apparavit tum in generatione et educatione Christi, tum tota vita sua, splendissimum omnium virtutum exemplar nobis ad imitandum proponens, idque in Sion, ubi ipsa post ascensionem Christi in cælum habitavit; invitavit enim ipsa omnes ad arcem Sionis, id est ad vitam excelsam et contemplativam, Unde experientia docet omnes pene Religiosos ejus instinctu et ore insitutas, atque in particulari, quocumque ad eas evocantur, ipsius fere auxilio et quasi voce evocari. Ita videmus viros B. Virgini devotos, ac præsertim congregationum ejusdem Sodales zelo animarum fervere, ideoque B. Virginem per eos in omnibus orbis provinciis mira et magna operari, nimirum infideles et hereticos converterere, urbes antiquæ virtuti et pietati restituere, multos utriusque sexus ad vitam cælebem, imo angelicam traducere, sive domi, sive in variis Religiosorum Ordinibus. Vide nostrum Spinellum *De Desipere* 11.

B. Virgo ergo vocat ad craterem cum excelsa prædicatione, quia ipsa fuit crater continens et propinans nobis carnem et sanguinem Christi, juxta illud *Cant. vii*: «Umbilicus tuus crater tornatilis nunquam indigens poculis.» De quo S. Ambrosius, *lib. De Instit. Virg.* cap. xiv: «A Vere, inquit, et hoc ille Maria crater tornatilis, in quo erat sapientia, que miscuit in cratere vinum suum, indelicentem cognitionis pie gratiam divinitatis suæ plenitudine subministrans. In quo Virginis utero simul acervus tritici, et lilii floris gratia germinabat, quocumque et granum tritici germinabat et lilium.» Et S. Ildephonsus, *serm. 4 De Assumpt.*, eadem mutuatus ex S. Ambrosio: «Vere, inquit, sicut sicut Maria crater tornatilis fuit, quia in eo sapientia se induxit, que in cratere illo vinum miscuit.» Sic Ildephonsus, quem citat Vincentius Belvacensis in *Speculo Historiali*, lib. VII, cap. cxxi.

4 et 5. SI QUIS EST PARVULUS, VENIAT AD ME. ET INSIPIENTIBUS LOCUTA EST: VENITE, COMEDITE PANEM MEUM, ET BIBITE VINUM QUOD MISCI VOBIS. — Pro parvulus hebraice est *peti*, id est parvulus, cui facile quidvis persuadetur; Septuaginta, Chaldaeus et Syrus, *insipientis*; S. Cyprianus, lib. II *Testimon.* contra Jud. num. 2, *insciens*; alii, *simplex*, de quo plura cap. I, vers. 4. Pro *insipientibus* hebraice est *לֹבֵן חֹסֶר לֵב*, id est ei qui deficit corde, puta inopi cordis, et cui deest cor; Septuaginta, *egenti sensu*; Chaldaeus, *indigentibus intellectu*; alii, *carenti mente*. Idem ergo est parvulus quod *insipientis*, puta homo, qui sensu et carne tantum ducitur; posterior enim pars de more explicat priorem. S. Gregorius tamen symbolice per parvulum accipit humilem; humilis enim capax est sapientie: «Qui enim, inquit, necdum semetipsum despiciat, humilem Dei sapientiam non apprehendit, juxta illud Christi: Confiteor tibi, Pater, Domine cæli et terre, quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis.» *Math. xi.*

Sunt hæc verba sapientie invitantis ad se suasque epulas. Unde sapientia dicitur, quod proinde supplet Septuaginta hoc modo, dicens: *Si quis parvulus, veniat ad me*. Per panem et vinum accipit agapen, sive convivium sacrum ex vicibus Decem immolatis, quod sacris lectionibus et sermonibus conjungitur, uti dixi vers. 2. Sub quo allegorice intelligi epulum Eucharistie, quod comedendum est ore et stomacho tum corporali, tum spiritali, puta attentâ meditatione, oratione, desiderio, amore, humilitate animique unione cum Christo sumendum et ruminandum. Omnes ergo ad S. Synaxim hic invitavit sapientia, id est Christus, uti hisce verbis Ecclesia omnes ad illud evocat in festo Venerabilis Sacramenti; et S. Gaudentius, in *serm. 19 ad Neophylos*: «Contendite, inquit, pulli generosi, ad sacram offam, in qua est vita, et ex celesti illo cibo mica non cadat.» Nam, ut ait S. Ambrosius, lib. IV *De Sacram.* cap. II: «Bonæ aquilæ circa altare; ubi

enim corpus, ibi et aquila. Forma corporis altare est, et corpus Christi est in altari; aquilæ volat, et corpus Zacharias, cap. ix, vers. 17: «Quid enim, inquit, hominum ejus est, et quid pulchrum ejus, nisi frumentum electorum, et vinum geminans virgines?» Ubi multa de fructu sanctæ Communionis dixi, æque ad *Eccl. xvi, 33*, ubi fuisse egi de manna, quod erat panis cæli et panis Angelorum, omne delectamentum in se habens, omnemque saporis suavitatem: quo solo pasti Hebræi in deserto sani vegetique ad continuum peregrinationem, ac robusti ad bella contra Amalec, Og et Basan conficienda evaserunt. Atque idcirco manna expressus erat typus Eucharistie, qui est panis celestis sanitatem, delicias et immortalitatem tam anime quam corpori conferens, juxta illud Christi: «Hic est panis de cælo descendens, ut si quis ex ipso manducaverit, non moriatur, etc. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum, et panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.» *Joan. vi, 51.*

Ex hoc loco parvulus esse docendus et formandos ad virtutem docet Joannes Gerson, part. II, tract. *De Parvulis trahendis ad Christum*, ubi laboris hujus fructum et meritum exaggerat, ac seipsum in exemplum proponit. Ipse enim, cum esset Cancellarius Parisiensis, et summæ Academiæ negotiis districtus, pueris tamen erudiendis eorumque confessionibus audiendis assidue vacabat, secutus exemplum Christi, qui ait: «Sinite parvulos venire ad me; talium enim est regnum cælorum.» *Math. xix, 14.* Ideoque et parvulos judicio maturos illico ad S. Synaxim hortabatur.

6. RELINQUITE INFANTIAM, ET VIVITE, ET AMBULATE PER VIAS PRUDENTIÆ, — *q. d.* Relinquitte pueriles et infantiles nugas, errores, desideria, concupiscentias; et vivite, id est, et sic vivetis vitam humanam et rationalem, sequentes ductum rationis et honestatis, cum antea more puerorum vixeritis vitam animale, qualem agunt bestie rationis expertes, que sola phantasia et sensu aguntur; et ambulate, id est, sio relinquendo infantiam ambulabitis, per vias prudentie, vel et id est idcirco, «ambulate per vias prudentie.» Si enim per vias prudentie ambulatis, utique relinquitis infantiam et imprudentiam, ac vitam homine dignam capessitis, que vos ducet ad vitam beatam et æternam. Unde Chaldaeus verit, *amandate a vobis insipientes recordiam* (Syrus, *sultitiam*), sive *indigentiam intellectus vestri, et civitatem*; Septuaginta Complutenses, *relinquite insipientiam, et civitatis et quærite prudentiam, ut vivatis*; Romani vero, *relinquite sultitiam, ut in saccivum regnetis, et quærite prudentiam.*

Pro *ambulate per vias prudentie*, hebraice est, *dirigite in via intelligentia, vel rectam facite viam prudentiam*, hoc est, per viam rectam prudentiam incedite, ac juxta ejus dictamen opera vestra dirigite. Unde Aquila et Symmachus, *recte sic in via intelligentia*; Septuaginta, *corrigite scientiam et*